1561.ª d. 2 Martij — Ex Ms. Bielinsciano.

220

Postulata regis Poloniae Caesari oblata

Profugit e Polonia Johannes Michulicz subditus aggrestis S. regis mei in ditionem Mtis V. Caes., multis furtis ac facinoribus perpetratis. Receptusque a generoso Bernardo de Zaroczyn in Miedzyrzecz subditis quorundam consiliariorum Mtis ejus regiae hostilitatem denunciavit, multisque damnis ac detrimentis per clandestinas incursiones eos affecit, et pecuniam per minas ab eis extorsit. Cumque illi ipsi consiliarij regio nomine tradi eum sibi postulassent, pro jure pactorum, quibus de fugitivis colonis utrinque tradendis cautum est, negatum id ipsis est. Egerunt deinde, ut de spoliis et incursionibus, atque detrimentis ab eo allatis jus sibi adversus eum diceretur. Sed ne in eo quidem pactis publicis satisfactum est. Etenim cum ijs pactis caveatur, et ejusmodi controversiae propter pacem publicam conservandam sine judiciorum solemnitatibus, et sine longis dilationibus decidarentur, permissa est facinoroso illi ad jus quoddam supremum provocatio. Ita fit ut bis pacta publica in eodem homine servata non sint, nempe quod de fugitivo illo reddendo negatum est, et quod ipsi in ejusmodi causa, provocandi potestas facta est a subditis et magistratibus Mtis V.ae Caes.: Quae res non faciunt ad bonam atque pacatam vicinitatem conservandam. Quod S. rex meus Mti V. Caes perpendendum relinquit. Petit autem ab eadem Mte V. Caes. jubeat ea dari mihi mandata ad supramemoratum Bernardum de Zaroczyn et ad loci illius magistratus, ut fugitivus ille latro sine mora et exceptione ulla tradatur, ijs, qui eum repetent, et mandata Mtis V. Caes: representabunt et abduci sive reduci potius in Poloniam permittatur, sine ullo cujusquam impedimento, quem-

admodum

quemadmodum pactis publicis consentaneum est. Vicissim Mtas ejus regia, non modo in similibus, verum etiam in longe majoribus Mti V. Cae per occasionem gratificari studebit. m

względem wydania Jana Michulicza.